





VINCILIATÆ CASTRVM

CONSTANTINI GIVNTINI

DISTICHA

VINCILIATÆ CASTRVM

CONSTANTINI GIVNTINI

DISTICHA



PRÆSTANTISSIMO VIRO

JOANNI TEMPLE LEADER

HOC BREVE ET MISERVM CARMEN

LVDICRIS HORIS ET INTERRVPTE CONGESTVM

SED BENIGNE SVO DESIDERIO HONESTATVM

CONSTANTINVS GIVNTINVS

OBSEQVENTI ANIMO

O.

Felix, divitias, qui recte impendere partas
Egregius studuit, captus amore boni.
Iste quidem sapiens, prudens ac nobilis heros,
Cui vincens ævum gloria summa manet.
Pars et equis, rhedis, choreis ac lusibus, omnem
Insumit vitam, sive paterna bona.
Pars autem, quorum melior sententia menti,
Virtutem quærit, dum bene ponit opes.
Collibus in nostris, quos circum Flora decorat,
Flora decus patriæ, splendor in orbe nitens:
Est urbe egressis tumulus, castrumque vetustum,
Jampridem validum, tempore pene cadens.
Sed quasi prodigia, rursus caput extulit altum,
Eximiâ Domini Munificentis ope.
Structum antiquitus, vertente ætate relictum,
Sensim concutitur, mole ruitque suâ.
Omne solum tegitur dumis altisque ruinis,
Una tremens turris fulmine fracta stetit.

Hic bufo, mures, angues, hic noctua stridet,
Quæ, vanum vulgus, monstra strigesque timet.
Quis lumen viderat, quis spectrum veste cruentâ,
Vel strepitum sensit, sive graves gemitus.
Agricolæ interea magni portenta timoris
Augebant trepidi: credula plebs tremuit.
A longe per noctem circumiere pavore,
Ne quasset subitus frigida membra tremor.
At pueri ignari, vani quandoque pericli,
Maceries lustrant, saxaque versa ruunt.
Sic altus puteus, sic ima anfracta replentur
Percussa ut referant antra sinu gemitum.
Et quod non hostes, vel quod non efficit ætas,
Fecere incaute, perque jocum pueri.
Dum olim hos per colles venando leniter ibam,
Huc, me, visendi rudera, duxit amor.
Ardens ascendo tumulum, scandoque ruinas:
Cunctaque respicio tecta subacta solo.
Undique disjectas moles, avulsaque saxa,
Confractos lapides, undique congeries.
Tantum inter rimas serpebat sordida malva,
Squalentes frutices, luxuriante rubo.
Tempus erat quo Fœbus vastum ambitus Olympum,
Incumbens pelago, fræna relaxat equis;
Tum campana procul tintinnans mœsta videtur
Functum flere diem, voce rogare Deum.
Et regnare quies cum toto inceperit orbe,
Cordibus alma venit grataque mœstitia.
Horâ illoque loco, dudum meditabar inanem
Mundi splendorem, cunctaque vana sui,
Sistens ut Marius super Carthaginis oras,
Sic, memini, vates carmine quod cecinit: —
Alta jacet Carthago, sed vix signa suarum
Celsa ruinarum, litus inane tenet.

Intereunt urbes, moriuntur regna, superbum
Fastum vel pompam, gramen, arena tegit.
Eloquar an sileam quæque ipse miserrima vidi?
Quæque ipse audivi, quis mihi crediderit?
Vix ea fatus eram, quando mihi visa repente,
Insidens saxo, sic pueri umbra gemens: —
Quis mihi leniet altum post tot fata dolorem?
Quis misero tandem triste levabit onus?
Per superos oro, per sacri numen amoris,
Ah! miserere animi, qui nimis atra tulit.
Exoriare aliquis nostris ex fletibus ultor,
Qui me restitues in decus omne meum. —
Attonitus quis sit quæro, et quæ causa doloris?
Sum castri Genius; dixit, et umbra fugit.
Territus aspectu, deserto in litore, solus
Evinctus dictis, corde dolente steti.
At nox sidereo late circumdata peplo
Montibus ex altis, nigra celerque cadit.
Tum pulsis tenebris, ægre deserta reliqui
Castra dolens, pueri, pectore verba gerens.
Inde usque optavi per mœnia tectaque sarta,
Illius ut finem posset habere dolor.
Optans ista diu, mea semper vota fuere:
Excepit tandem fervida vota Deus.
Post aliquot menses, si quis spectaret ad Arctos,
Inter Fesuleum Septimiumque jugum,
Qua pridem albebant veteres sparsæque ruinæ,
Tigna erecta in opus cernit, et artifices.
Nam quidam Dominus dives, ditissimus immo,
Qui quam dives opum, ditior est animo,
Unde novæ patriæ magis obsequeretur et Urbi,
Exegit facinus fortiter egregium.
Dirutum emit castrum, quod neglexere profani,
Nunc ornans colles excitat invidiam.

Undique materies ciet, artificesque peritos:
Structore, ah! nuper, quem fera mors rapuit.
Accingunt omnes operi, celerique labore,
Assidui complent plurima, magna, brevi.
Quis primum incendit vepres, quis rudera pellit,
Fundamenta fodit, saxa trabesque parat.
Magnâ vi lapides fabrilia scalpra retundunt,
Ictibus infringunt: pondere terra tremit.
Fervet opus, resonant confuso murmure circum
Valles Fesuleæ, montis et antra cava.
Viribus unitis, jam, jam protendere in altum
Incipiunt turres, mœnia, tecta domus.
Undique visendi studio concurrit ad arcem,
Artis Flora novo percita prodigio.
Obstupuere animi, rumorque increscit eundo:
Advocat alta ferens, undique fama volans.
Celtiber, huc Francus, Germanus, Belga, Britannus,
Omnibus ex orbis partibus hospes adest.
Huc et ego accitus, communi ardore videndi,
Una cum sociis jam nova castra peto.
Per latam facilemque viam conscendere juvit,
Crescentes frutices, culta videre loca.
Nam vitis vegetat, pinus, cyparissus et ulmus,
Qua vel nuda silex, vel rubus asper erat.
Dum collem ascensu supero, qua plurimus Urbi
Imminet, ecce senem pone sedere viam;
Prolixam barbam, perfusos pulvere crines,
Squalentem vestem, grata sed ora gerens.
Comiter assurgit, dictisque affatur amicis: —
Non vos, me, vobis dicere: Ave, pigeat.
Vos, ni fallor, amici sartam invisitis arcem:
Pergite felices, jam prope limen adest.
Si tantam optatis cursu contingere metam,
Pergratum studium, dulce levamen erit.

Vivat, qui dignatus priscam attollere molem;
Sic delere vetus, triste nefas valuit. —
Tum vero ardemus scitari, et quærere quali
Allusit sceleri: sic ait ore gravi: —
Quis cœcam rabiem, quis cladem et funera fando
Tardosque angores, temperet a lacrymis?
Heu miser atroci qui cœcâ incenditur irâ!
Sero, sed incassum tristia damna dolet.
Hæc loca vi quondam circum regnata potenti,
Hæc arx hospitium grande dedere sibi.
Per montes, solitus venando degere vitam,
Tarde aut incerto rure redibat herus.
Exigit ut festis expectet seque sacerdos,
Nec sacrum celebret, donec et ipse venit.
Indulget pastor; sed respectare morantem
Fessâ plebe diu, munera sacra facit.
Expleto divini necdum altaris honore,
Adstat venator, pene furore furens,
Dentibus infrendens, gemitu graviora minatur,
Et probra agglomerans, horrida dicta vomit.
Nec reverens fanum, nec sacri dona Ministri,
Contra illum explodit quæ gerit arma manu.
Missilis igne globus, fungenti, pectus, ad aram
Perforat; hic animam, pace, precatus agit.
Perpetrare malum facile; at reparare ruinas,
Hic opus, hic labor est:..... Væ furiose tibi!
Post factum, incautæ noscuntur pondera culpæ,
Post mala sic plures irreparanda gemunt.
Victimæ adhuc sanguis fumabat, cum subit iræ,
Cura, dolor curæ, cumque dolore pavor.
Ut sævâ quandoque Cain agitatus erinni
Angitur infelix, horrida spectra videns.
Intima vox animi tum clamat dira paventi:
Heu! fuge; terra negat ferre cruenta feram.

Sic execratus, metuens hominumque Deique
  Justitiam meritam, suppliciumque suum,
Mox gazas cumulat, condit puteo, et propere se
  Proripit a patrià, semper ubique miser.
Infelix, exul qui culpâ expellitur atrâ:
  Extorri est angor sævior exilio.
Sic homicidæ castrum exinde horrore relictum,
  Tristis heri culpæ pondere, pene ruit. —
Talia fundens fletu, nos comitatur ad arcem;
  Inde, vale dicens, mœstus iter sequitur.
Jam legimus muros, et portæ sistimus altæ,
  Quæ cito stridenti cardine versa patet.
« Apparet domus intus, et atria longa patescunt, »
  Scala, columnæ, arcus, turris et os putei.
Tum comis custos præstanti monstrat honore
  Jam expletas ædes, ac pretiosa bona.
Quanta quidem potuit perquiri antiqua supellex
  Ornatura domos, huc bene gesta nitet.
Tum primum veteri sarcitam more coquinam
  Vidimus, atque larem vasaque prisca casæ.
Hic pateræ, pelves, patinæ, genus omne patellæ,
  Hic scyphus, olla, lebes, amphora cum poculis.
Panditur annosum picturis, grande, severum,
  Triclinium: decorant mensa, lucerna, torus.
Sævum si quis amet Martem, dein arma vetusta
  Cuiusvis sæcli discriminata videt.
Enses, arcum, hastas, loricas, cultra, sagittas,
  Balistas, clavas, scuta, ocreas, galeas.
Quod vero mentes miratas perculit omnes,
  Divo Bernardo cella dicata fuit.
Nam paries circum depictus, maxima vitæ
  Gesta viri præbet; summi opus artificis.
A muro jam delabente, novâ arte colores
  Traducti, has ædes mirifice decorant.

Scandimus interea summæ fastigia turris:
Cernitur ictu oculi totaque desuper arx;
Quam e sublimi vertice dulce videre venustas
Almæ Floræ ædes, ruraque plena rosis!
Aspice nempe gigas ut surgat ad ætera fornix
Majoris templi; quo nihil egregius!
Quæ solis radios reflectit vivida lympha
Fertilis est Arnus, qui mediâ urbe fluit.
Turris in alto, ripis, contusa ictibus, adstans;
Pro patria valuit, castra inimica nocens.
Quæ in monte assurgit septem de parte trionum
Arx Sillana fuit, sic ea fama volat.
Quæ villa inter olivas colle emergit Eoo
Est celebris satyro, sed magis artifice.
Infra, hilari acclivo, qua horarum machina tinnit;
Vir rurat præstans sanguine, mente, modis.
Quæ tandem Majani alte turrita renidet,
Sospitet egregium, qui hoc bene complet opus.
Postquam dulcia rura et vasta aspeximus arva,
Turri desiluit quisque, sed ire dolens.
Ut puer a ludis pede lento et corde recedit,
Sic æde eximiâ cedere displicuit.
Attamen illecti media consedimus arce,
Qua genialem umbram porticus alta pluit.
Rursus opus laudatur grande, scopusque laboris,
Auctoremque etiam scire laboris avent.
Tunc hortor fari, distinctâ pandere laude,
Tantus Mecœnas artibus ille quis est.
Conticuere omnes, intentisque auribus adstant:
Inde animo cœpi grata referre libens. —
Vos gratum optatis merito renovare tributum;
Ast audere nimis grandia nescit iners.
Sed si tantus amor, tantam cognoscere mentem,
Pauca tot inter, ego, quæ mihi nota, loquar.

Sub cœlum Hesperiæ concurrunt undique amœnum,
Nec non sæpe mali, vero aliquando boni.
Inter et hos venit generosus sorte Britannus:
Moles ista refert quam probus et locuples.
Dum vero, bene curat opes impendere vastas,
Rura, arva, ædes et prædia restituens,
Sic patriæ nostræ veros providit honores,
Esurienti panem, artibus auxilium.
Is bene de patrià meret, is bene dignus amari,
Qui solers nostrum juge decus studuit.
Pro illius famà narratu plurima restant,
Sed breviter dicam nomine, cuncta, Viri.
Iste hospes meritus, qui nobis tanta decora
Attulit, est locuples egregiusque Lider.
Vivat is ergo vivat, et omni tempore felix,
Donet Ei semper prospera cuncta, Deus.
Usque in corde suo cœlestis gratia regnet:
In sano sospes, corpore, mens vigeat.
Ad multos annos possit producere vitam
Pro se, proque suis, artibus et patriæ. —
Dixeram, et extemplo cœtus conclamat amicus: —
Laude quidem dignus, dignus amore Lider.

FLORENTIÆ, MDCCCLXVIII.
Typis *delle Murate*.



